

ligionem, numquid teneretur hospitale reddere bona, vel usumfructum eorum, ne transitus fiat difficilior? Cur ergo obligabitur religio, cui non minus absoluta donatio facta est, et cujus bona non minus, imo magis ecclesiastica sunt, et ob eam causam difficilior etiam alienari possunt; unde ad hoc confirmandum, non parum juvant, quæ de non alienandis ecclesiasticis bonis sacri canones statuunt.

16. *Discutitur resolutio de liberali donatione, an possit fieri sub conditione.* — Superest ut explicemus quid dicendum sit, si a principio in ipsamet donatione expresse addita fuerit hæc conditio, ut quacumque ratione contingat religicosum mutare suum statum, religio teneatur vel bona reddere, vel saltem dotem competentem pro alio monasterio, vel saltem alimenta, aut quid simile. In quo imprimis dubitari potest, an talis conditio sit iniqua et invalida; videtur enim non esse, quia nulli est injuriosa, suppono enim donationem esse liberalem, de bonis, scilicet, quæ posset novitius aut novitia non donare monasterio; potest ergo ea donare prout voluerit; ergo et sub illa conditione. In contrarium autem est, quia illa conditio videtur esse contra votum paupertatis, ac proinde contra substantiam professionis. Probatur assumptum, quia per illam conditionem retinet illa persona jus aliquod ad illa bona; habere autem tale jus, repugnat voto paupertatis, nam est retinere aliquod genus dominii, quia jus illud æstimabile pretio est, et est quoddam bonum temporale, quamvis incorporeum.

17. *Deciditur affirmative, tamen ordinarie male sonare talem conditionem.* — In quo eventu satis honesta esset. — Quæ ratio procedit quidem optime, si conditio in eo sensu apponatur, ut persona retineat jus aliquod ad talia bona; posset tamen in alio sensu poni, in quo non video intrinsecam malitiam, scilicet, ut religio maneat in conscientia obligata ad subveniendum religioso in tali occasione, etiamsi ipse nec jus, nec actionem aliquam contra religionem habeat; hæc enim duo et inter se non repugnant, et optime compatiuntur cum integro voto paupertatis, ut supra visum est. Imo addi etiam posset in tali conditione, ut si religiosus transierit ad aliam religionem, eo ipso altera religio acquirat jus ad talia bona, quia hoc etiam nihil derogat paupertati ipsius personæ, et aliunde nec justitiæ repugnat, ut ratio supra facta probat; ergo talis conditio sic intellecta non est in-

trinese mala. Non potest tamen negari quin male sonet, quia, ut num. 7, in fine, dicebam, indicat animum non satis constantem in statu quem assumit. In aliquo tamen casu raro possent occurrere circumstantiæ, quæ conditionem illam postulare etiam secundum prudens consilium videantur, ut si femina, religionis habitum assumens in aliquo monasterio, timeret probabilem necessitatem transiendi postea ad aliud, vel ejusdem ordinis, vel aliterius, ex gravi causa, et legitima facultate; si ergo priori monasterio copiosam donationem bonorum faceret, nulla inconstantia neque indicium ejus est sub conditione ponere, ut, occurrente tali casu, vel cogente tali necessitate, teneatur monasterium primum dare secundo competentem dotem, aut usumfructum dotis, vel alimenta, aut aliquid simile; supposito ergo tali casu, seu modo donationis, dicendum plane est teneri monasterium implere conditionem, eo modo quo in contractu posita fuerit, quia est justa, et paupertati non repugnat, ut declaravimus, et nulla est lex canonica quæ resistat; nam illa non esset alienatio bonorum ecclesiasticorum, quia illa bona nunquam fuerunt simpliciter donata tali monasterio, sed sub tali modo, vel usque ad complementum talis conditionis.

18. Ex dictis sequitur, si religiosus, vel religiosa, ex dispensatione Pontificis quantumvis justa, revertatur ad sæculum sine ullo vinculo professionis et votorum, non posse deferre secum bona quæ religioni donaverat absolute, sine consensu religionis, nisi hoc ipsum Pontifex in sua dispensatione specialiter concedat. Probatur, nam idem fundamentum absoluti dominii habet locum in tali casu. Imo in eo magis urget, quia, licet persona Deo consecrata revertatur ad sæculum, non propterea debent bona Deo consecrata profanari, seu alienari, vel, ut ita dicam, ad sæculum redire; neque in dispensatione personæ continetur dispensatio in alienatione bonorum, nisi in specie concedatur; neque etiam causa, quæ ad primum sufficiat, erit semper sufficiens ad utrumque; quin potius, ut dispensatio in persona tolerabilis sit, erit regulariter conveniens ut pro bonis non concedatur, sed quod relinquatur religioni; videantur quæ in simili tractat Rebuffus, in Proemio ad regias Constitutiones, gloss. 5, n. 23, ubi ex multorum sententia dicit, religiosum factum sæcularem non succedere in hæreditate paterna, quod difficilior.

19. Dices: in eo casu tollitur fundamentum talis donationis, vel cujusvis tituli, quo mediante bona illa pervenerunt ad monasterium vel per testamentum, vel per successionem necessariam, etc.; ergo eo ipso redibunt bona ad priorem dominum, quia, ablato fundamento, evertitur quidquid in illo nitabatur. Antecedens patet, quia tota ratio translationis talium bonorum in monasterium est, vel incapacitas personæ ad dominium talium bonorum, vel voluntas donandi illa, fundata in tali professione; per illam autem dispensationem et professio tollitur, et persona fit habilis ad dominium talium bonorum. Confirmatur, quia si Papa dispenset in matrimonio rato, eo ipso revertitur ad sponsum quidquid sponsæ donaverat, et e contrario, quia destruitur fundamentum; ergo similiter in præsentibus.

20. Respondetur, nec professionem, nec incapacitatem dominii esse fundamentum, ut sic dicam, a quo pendeat in conservari dominium absolute datum monasterio de talibus bonis, sed solum fuit veluti occasio aut motivum, ut talis donatio monasterio fieret, sicut si donatio illa facta esset pauperibus, vel consanguineis, quia, ut diximus, donatio æque absoluta est. Imo, in præsentibus casu multo minus potest pendere a tali conditione, quia religiosum professum per religionem fieri non religiosum rarissimum est, et moraliter non consideratur in tali contractu, seu donatione. Ad simile, quod affertur de matrimonio, respondeo, unum esse casum in quo, via et jure ordinario, potest matrimonium ratum dissolvi, per professionem religionis, in quo casu jure etiam communi statutum est, quid de bonis invicem donatis ab sponsis faciendum sit, ut in superiori tractatu visum est. Dissolutio autem matrimonii per dispensationem extraordinaria est, et de his quæ raro eveniunt; et ideo pro illo casu nihil jura disposuerunt, et ideo si quæ donatio intercessit, tenor illius considerandus est; nam, si donatio fuit omnino absoluta, et non expresse ad supplementum dotis, vel ratione matrimonii sustentandi, certe non revocabitur donatio propter dispensationem illam, maxime si præbendo consensum ad dispensationem, nullam conditionem de donatione revocanda sponsus exigit; et ita ex hac parte potius confirmatur doctrina data. Si autem fuit conditio posita saltem generalis, ut si matrimonium, quacumque ex causa, non pervenerit ad effectum, donatio rescin-

datur, servanda est, quod nihil etiam obstat his quæ diximus.

*An saltem religiosi Societatis, qui vota tantum simplicia emisissent, possint deferre secum bona quæ ipsi Societati donarunt, si ab ea dimittuntur.*

21. Ultimo occurrit speciale dubium in hoc puncto circa religiosos Societatis, qui professionem non emisissent, sed per vota simplicia incorporati sunt, et aliquid de bonis suis Societati donarunt, an, si postea emittantur, possint deferre secum talia bona, et consequenter teneatur Societas ea reddere, et donationem rescindere. Est enim hoc proprium Societati, ut non necessario succedat in bonis suorum religiosorum secundum commune jus, sed ipsi religiosi possunt et debent juxta suas constitutiones de suis bonis disponere, et ita non habent hic locum omnia, quæ de priori genere bonorum diximus. Possunt autem si velint, sicut aliis pauperibus, ita etiam Societati bona sua, vel eorum partem donare, prout in tract. 10, lib. 4, cap. 6, exponitur; de hac ergo donatione dubium est, an idem sit judicium quod de religiosis professis. Videtur enim hic esse dispar ratio, quia, licet ex parte religiosi oblatio et obligatio sit perpetua, ex parte religionis non fit absoluta obligatio retinendi perpetuo hujusmodi religiosos, sed sub conditione, *Nisi ipsi hoc demeruerint*, vel alia simili; ergo ratio postulat ut donatio, quæ fit religioni, habeat etiam hanc conditionem, Si religiosus non expellat, vel similem. In contrarium autem est, quia forma donationis absolute fit; ergo etiam confert absolutum et irrevocabile dominium: patet consequentia, tum quia talis persona potest hoc modo donationem facere, et voluntas ejus ex verbis colligenda est; tum etiam quia, si eodem modo faciat donationem consanguineis vel pauperibus, non rescindetur donatio, etiamsi postea e Societate emittatur. Accedit præterea quod alias sequerentur incommoda supra tacta in aliis religiosis. Primum ac præcipuum est, quod tales religiosi non perfecte renunciarent temporalibus bonis, nam semper haberent spem recuperandi illa, si ad sæculum redirent, quod vel repugnat omnino, vel derogat multum religiosæ paupertati. Secundum, quia hinc sequeretur occasio licentiosæ vivendi, quia vel sperarent non esse dimittendos a religione, ne cogantur etiam bona dimittere, vel certe minus timebunt dimitti, quia jam habent unde vivant. Tertium,

ex parte etiam religionis minuetur libertas ad dimittendum religiosum dyscolum, ne cogatur bona illi reddere, quæ fortasse sustentando alios jam consumpsit, quod ad commune bonum ejus esset magnum incommodum.

22. *Decisio per triplex pronuntiatum.* — In hac re nihil existimo posse ex communi jure definiri, quia pendet ex modo contractus seu donationis, quæ est res facti potius quam juris. Nam, loquendo de possibili, certum est potuisse hujusmodi religiosum absolute talem donationem facere, sine ulla conditione quæ in futurum pendeat, quod probat evidenter ratio facta pro parte affirmante, quia voluntarie facit, et est absolutus dominus, et quia ita potest alienare, vel donare aliis; cur erit in hoc religio pejoris conditionis, aut magis incapax talis donationis? Secundo, censeo certum, facta in hunc modum donatione, non teneri religionem in rigore justitiæ, talia bona reddere tali personæ, si eam juste a se dimittat. Probatur primo ex ratione facta; nam in eam fuit absolute translatus dominium. Item, quia tertia persona, cui facta esset similis donatio, non teneretur ea restituere in eodem eventu. Dices, non esse eandem rationem, quia alia persona non est causa talis mutationis in hujusmodi religioso; at religio est causa illius, et constituit illum in novo statu, in quo indiget talibus bonis. Sed hoc parum refert; nam vel religio injuste hoc facit, vel juste. Si injuste, est contra conditionem positam in pronuntiato, estque ille casus distinctus, in quo merito obligatur, et cogenda est religio, ut reddat bona ei quem injuste dimisit; illa vero obligatio non est ob defectum prioris donationis, sed propter specialem injuriam respectu talis personæ sic donantis. Si vero justa est dimissio, ut in casu supponimus, non debet propterea religio obligari ad relinquenda bona quæ juste possidet, cum nec ratione rei acceptæ, nec ratione alicujus injuriæ teneatur. Neque in eo casu imputari potest religioni infelix eventus talis religiosi, sed ipsi imputandus est; nam propter hanc etiam causam, nulla facta est in principio injuria tali religioso, obligando illum ad relinquenda bona sua, exponendo se illi periculo; nam imprimis non obligatur unquam relinquere talia bona religioni, sed liber ad hoc relinquitur. Deinde sicut non cogitur talem religionem ingredi, ita nec bona alienare; si autem voluntarie utrumque facit, nulla ei fit injuria. Denique

non potest dici exponi periculo, quantum est ex parte religionis, cum nunquam dimitti possit, si ipse velit vivere juxta regulam status quem assumit, ut latius, tractat. 10, suo loco dicemus. Unde addo tertio, hujusmodi renuntiationem, etiamsi fiat in favorem religionis, fieri in hoc sensu absoluto et immutabili, seu independente a mutatione, quæ potest accidere circa statum personæ. Probatur rationibus factis, quæ mihi certe probant alium modum donationis esse valde perniciosum religioni, non tam in temporalibus quam in spiritualibus, et ideo nec acceptat, nec acceptare debet donationem in alio sensu factam, nec permittit ut renuntiatio aliter fieret, in cujuscumque favorem fiat.

23. *Moderamen prædictorum pronuntiatorum*<sup>1</sup>. — Quamvis autem religio ex justitia non teneatur hæc bona reddere in hujusmodi casibus, ex quadam æquitate, et ad tollendam omnem occasionem offensionis, potest licite, vel omnia, vel aliquam eorum partem priori domino reddere, vel pretium eorum, quia hæc non censetur alienatio simpliciter bonorum religionis, sed quædam justa dispensatio, necessaria ad conservandam libertatem, quam talis religio profitetur, ad dimittendas personas quæ sibi non congruunt; imo, ex praxi, et consuetudine instituto consentanea, videntur hæc bona a principio acceptari a religione, cum hac potestate et libertate dimittendi etiam illa simul cum persona, si fuerit expediens ad finem Societatis, et ad communem ædificationem. In hac tamen æquitate faciendâ, observare etiam necesse est ne nimium gravetur religio, quæ per multos annos alit personam, quæ postea litteris et aliis donis instructa dimittitur, et nihilominus integra vult recipere bona quæ donaverat, quod non potest non esse grave onus religionis. Cavendum etiam est ne facilitas in hac parte generet in subditiis certam spem recuperandi bona in simili eventu; nam posset hæc esse occasio licenter vivendi, ut supra dicebamus. Denique præcavendum est etiam ne hoc sit tam frequens, et tali modo fiat, ut inducatur consuetudo obligationem inducens.

<sup>1</sup> Vide p. 2 Constit., c. 3, lit. B, et decretum 8 Congreg. 5.

## CAPUT XV.

AN CUM RELIGIOSO TRANSLATO TRANSFERANTUR ETIAM PRÆROGATIVÆ QUIBUS IN PRIORI RELIGIONE FRUEBATUR?

1. *Prima regula circa prærogativas religionis a qua fit transitus.* — *De prærogativa antiquitatis, et eam consequentibus.* — *De prærogativa Prælaturæ.* — Per prærogativas hoc loco intelligimus quæcumque facultatem activam, ut eligendi, ferendi suffragium, etc., vel capacitatem passivam, ut eligatur, verbi gratia, ad tale officium, ministerium, vel beneficium; item jus sedendi in tali loco, et similia; item immunitates vel exemptiones a tali onere, vel labore, etc. Circa quod advertendum est, sermonem esse posse, vel de his omnibus, quatenus fundantur in professione facta in religione a qua fit transitus, et in ejus regula, vel quatenus fundari possunt in professione et regula alterius religionis. Nam, quatenus ex natura rei consequuntur quamcumque personam in religioso statu existentem, nisi ab extrinseco illis privetur, constat transitum nihil obesse talibus prærogativis. Duas ergo generales regulas constituo. Prima est: omnis prærogativa præcise fundata in professione primæ religionis, et in regula ejus, non transit cum persona, sed amittitur transitu consummato; exempla sunt, primum de antiquitate religionis, nam illa fundatur in professione facta in tali religione, et ideo quamdiu in illa permanetur, computatur per se loquendo a die quo ibi professio facta est. Talis autem professio non valet pro alia religione, quia per illam non est effectus membrum ejus, nec obligatus obedientiæ ejus. Hac enim ratione, qui transfertur, et aliam religionem per annum probare, et in ea professionem emittere debet, ut recte Navarrus, consil. 60 et 67, de Regular., in 2 impressione. Hinc ergo fit, ut translatus amittat antiquitatem quam habebat in monasterio priori, et consequenter fit, ut amittat locum, et quodcumque privilegium sibi debitum ratione antiquitatis. Fit etiam ut translatus ad monasterium alterius ordinis, non sit capax Prælationis in illo ordine, nisi in eo professionem emittat, quia capacitas ad Prælationem alicujus ordinis, secundum ordinarium jus, fundatur in professione facta in eodem ordine, ut in superioribus late tractatum est, et habetur etiam ex Tridentino, sess. 15, cap.

21, de Regular., et sess. 14, cap. 10, de Reformat. Unde etiam si quis ad hunc finem ex uno ad alium ordinem transferatur, ut ibi Prælationem exercent, non debet sine speciali dispensatione ad Prælationem admitti, nisi prius ibi professionem emittat. Unde cum professio perpetua sit, quamvis ille postea Prælationem dimittat, vel quacumque de causa illa privetur, in eodem ordine ad quem fuit translatus manere debet, ut recte dixit Navarrus, cons. 61, de Regular., et sequitur Emmanuel Rod., tom. 3, quæst. 52, art. 16, ubi fusius hoc disputat; sed mihi videtur res extra omnem controversiam.

2. *Secunda regula bipartita de prærogativas religionis ad quam transitur.* — Secunda regula est: postquam translatus ad alium ordinem ibi professus est, consequenter habet quamcumque prærogativam, facultatem, aut capacitatem quam alii religiosi ejusdem ordinis habent ex vi suæ professionis et regulæ, nisi specialiter in aliquo prohibeatur per jus. Probatur prior pars, quia ille translatus post professionem est verus religiosus talis ordinis; nam professio, ibi facta, vera professio est, ejusdem speciei, ut sic dicam, cum professionibus aliorum ibi solum profitentium; et ratione prioris professionis, non est talis persona incapax, nec per se demeretur omnia privilegia et commoda talis religionis. Prior enim professio optima fuit, unde habuisse illam non nocet; in præsentibus autem jam non existit, neque obligat, quatenus repugnare poterat posteriori, quia quoad hoc per illam irritata est. Mutatio autem ab una in aliam, vel fuit consilii, ut si translatio fuit in religionem perfectiorem. Si autem fuit ad laxiorem, supponitur autem facta ex legitima dispensatione, et consequenter honeste; ergo translatio ex nullo capite impedit quominus translatus fruatur omnibus effectibus et commodis professionis illius religionis ad quam translatus est, et quam denovo est professus. Confirmatur primo, nam per professionem posterioris religionis amittit omnia jura specialia prioris professionis, argumento capituli *Si quis jam translatus*, 21, quæst. 2, et c. *Ne pro*, 16, quæst. 1; ergo debet gaudere omnibus juribus secundæ professionis. Confirmatur secundo, nam ille per secundam professionem tenetur sustinere onera omnia talis religionis, quia eodem voto obedientiæ et paupertatis astringitur, ad quod faciunt quæ tractat Navar., Comment. 4, de Regular., num. 26 et 27; ergo debet